




Ut  $a e i$  est semicirculus: reliquæ sectiones, ut  $o u$ , &  $o e n$  inæquales, illa major, hæc minor.



18 *Angulus in semicirculo rectus est, semicirculo minor recto rectilineo, major quo vis acuto: in maiore sectione est minor recto, majoris major, in minore major, minoris minor. é 31 & 16 p 3.*

Septem partes sunt hujus elementi, prima est quod angulus in semicirculo sit rectus: Ut in  $a e i$ : nam si radius ducatur  $o e$  divideretur angulus  $a e i$  in duos angulos  $a e o$  &  $o e i$  æquales angulis  $e a o$  &  $e i o$  per 10 e 6: Itaque cum sit æqualis reliquis angulis, est rectus per 1 c 3 e 8. Aristoteles hanc geometriam complexus est 2 post. & 9 philof. & ait angulum in semicirculo rectum esse, quia sit dimidius duorum rectorum, quod eodem redit. Secunda pars quod angulus semicirculi sit minor recto, patet ex eo. quia pars est recti. Nam angulus semicirculi  $a i e$  est pars recti rectilinei  $a i u$ . Tertia quod sit major quo vis acuto: patet per 4 c 15 e 15. Secus enim tangens non esset eadem parte singularis. Quarta pars sic patet. Angulus ad  $i$  in maiore sectione  $a i e$  est minor recto, quia in eodem triangulo  $a e i$ , qui ad  $a$  rectus. Et si crux neutrum sit per centrum, constitui tamen potest angulus æqualis dato in eadem nempe sectione. Quinta sic. Angulus majoris sectionis  $e a i$  est major recto, quia continet rectum. Sexta sic. Angulus  $a o e$  in minore sectione est major recto per 12 e, quia qui in opposita sectione ad  $i$  est minor recto. Septima sic. Angulus  $e a o$  est minor recto, quia pars recti nempe exterioris si producat  $i a$ . Atque hæc de angulis circuli, quorum omnium efficacissimus est angulus in semicirculo, nec frustra ab Aristotele toties appellatus. Hæc igitur Aristotelis geometriam plenius aperiamus. Hinc enim plurima oriuntur.



Itaque

1 *Si duæ rectæ diametro circuli conterminæ conterminentur in peripheria, faciunt angulum rectum.*

Et

2 *Si recta infinita secetur à peripheria externi centri in punctis dato & contingente, & diameter sit à contingente, recta à dato puncto connectens diametrum erit perpendicularis super infinitam.*

PP §